(10)

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS


QUÆDAM DE

ASCITE

COMPLECTENS.

Auctore Gul: Murray

NI unicuique, Gradum Doctoratus Medicinæ in Alma Academia Edinburgena ambienti, ea necessitudo sit imposita, uti Dissertationem Medicam Inauguralem, a seipso Latina lingua compositam, alicui ex Professoribus perlegendam tradat; fateor me viribus diffisum tale munus detractaturum, cum plus dedecoris quam honoris inde oriatur, præsertim cum de eo sententiam ferant Professores Edinburgenæ Academiæ, cui



omnes terrarum orbis Academiæ assurgunt. Sed nota virorum liberalitas, et facilitas grata, multum fiduciæ his inceptis mihi præbent, et plurimum faciunt ad eam solicitudinem adimendam, qua cuncti fere afficiuntur, si quando de rebus gravis momenti periculum fiat.

Ritus itaque hujus Academiæ observans, de Ascite, seu Hydrope abdominis, disserre statuo; cujus morbi frequentis, plerumque lethalis, si quis ad causas, et latebras explorandas, animum totum intenderit, qualiscunque fuerit successus, omnes eum bene meruisse fatebuntur.

Qædam præcipua hujus morbi symptomata, et quam malum dirum ab antiquis haberetur, et necessitudo ut causa amoveretur, ex his versibus poëtæ colligenda sunt:

" Crescet indulgens sibi dirus Hydrops,
" Nec sitem pellet nisi causa morbi
" Fugerit venis et aquosus albo
" Corpore languor."

Præter sitim, languorem, somnolentiam, et album corpus, cutis arida, lingua plerumque sicca et furfure obducta, urina parca et colorata adsunt; his subinde accedit Anasarca. Sed sæpe de præ-

sentia morbi, præcipue si symptomaticus, solo tumore abdominis fluctuante monemur.

DIAGNOSIS.

Ex intumescentiis abdominis, quibus confundatur, fluctuatione, et symptomatibus supra dictis, dignoscitur Hydrops.

PROGNOSIS.

In Ascite, de qua sæpius triste augurium est ferendum, ex ætate et viribus ægri, ex causis quoque variis, et organicæ læsionis gravitate, formanda est. Quo clarius appareant, quæ sequuntur, præstat dicere homini viventi varia organa inesse, inter se forma, situ, atque usu, varia. Ex his, quæ sub imperio voluntatis sunt, vocantur animalia, et functiones animales; quæ voluntati non parent, vocantur involuntaria, et hæc pro functionibus in vitalia, naturalia, et mixta, dividuntur.

Proprium munus unicuique a natura tributum

est, quo rite fungendo juxta fœdus, quo sibi invicem devincta sunt, valetudo constat: contra autem, si quodvis organorum quavis causa a fœdere aberret, confusæ functiones inter se miscentur, morbumque lenitate, aut sævitia, pro partibus affectis, et causis diversis, varium formant.

Ex organis quædam dicta sunt Secernentia, quod ex sanguine in se motu cordis et arteriarum acto fluidum proprium quasi secernunt. Secretio per glandulas, vel membrana fit; et vel utilis est, ut saliva, succus gastricus, et pancreaticus; bilis, quæ symbolum concoctioni confert, pro qualitate et quantitate alvum leniter allicit, vel profluere facit; vel inutilis, ut urina, quæ fluidum excrementum est, et idcirco e corpore eliminandum. Sudor et exhalatio per cutem exitus noxii haberi possunt, quæ temperiem moderantur, et inter exhalandum nimium calorem auferunt, cutemque emolliunt. Membranis mucosis secernitur mucus, qui partes, quibus secernitur, lubricat, et quo minus ab externis, quibus expositæ sunt, lædantur facit. Hoc videre est in membranis, intus tracheæ, pulmonum cellulis, intestinisque, inductis, quæ aëri, cibisque ingestis sunt exposita. Membrana, quæ

cerebrum, pulmones et intestina obeunt, vocantur Serosa. Serum secernitur minutis arteriarum ramulis, qui vel suo jure, vel quod minus capaces sunt, sanguinem coloratum non admittunt. Inter organa tantus est consensus, ut, si ex quavis causa in alio secretio deficiat, in alio nimia fiat necesse est, et vice versa. Peritoneum, quod, obducendo plicaturis suis convolutiones intestinorum, et adhærendo totius abdominis parietibus, illa in loco tenet, firmat, et adversus distentionem munit, transitum nervis, venis, et arteriis, ad vicinas partes præbet, et per vasa exhalantia, seu serosa, quibus obsitum est, serum secernit; unde lubricitate, motui facili necessariæ, consultum est, et ab injuriis frictionis cautum. Quum serum ab exhalantibus semper secernitur, satis constat id in peritoneum, quod saccus continuus est, brevi accumulaturum, si nullus exitus daretur. Huic incommodo absorbentibus provisum est, quæ liquorem contiguum attractione capillari absorbent, et vi musculari, qua prædita sunt, in ductum thoracicum, sanguine permiscendum, reducunt.

Ascites itaque, de qua agitur, ex fluido seroso, in peritoneo largius existente, constat; et tum

vel minuitur absorbentibus vis, secretione per exhalantia nihil mutata, aut augetur secretio exhalantibus, potestate absorbentibus, non secus solito, remanente. At exquirere causas, quæ solitam concordiam inter absorbentia et exhalantia interrumpunt, ut plerumque in phænominis vitæ animalis fit, imprimis arduum est, quod tamen pro viribus conabor. Quanquam ex morbida actione vasûm serosorum, qualis in secretione puris evenit, copia ista seri effundatur in peritoneum, tamen ex relaxatione præcipue exhalantium et interdum absorbentium magis oriri videtur.

Causas ergo remotiores, quibus inducitur relaxatio, præcipue eas, quæ maxime memoratu dignæ videntur, attingam: quandoquidem vero eædem causæ eosdem effectus in omnibus non producunt, haud inficiandum, aliquam cachexiam hydropicis inesse, cujus causas a prudentia humana natura longius subduxit.

In talibus, igitur, quodcunque vires exhaurit, corpusque debilitat, asciti favet. Durus labor, graves exercitationes, vestitus et diæta tenuis, quæ vitam labore tolerantibus contingunt; febres, hæmorrhagiæ, profluvia, et talia omnia, de-

bilitando stomachum, et functiones lædendo, in modum jam dicendum hydropem producant.

In stomacho, ex quibusvis rebus debilitato, cibus non rite conficitur, nec chylus ad nutrimentum idoneus paratur; succo illo, qui adfert nutrimentum sanguini, per quod assimilatio geritur, deficiente, vis quoque arteriarum et cordis deficit. Motus muscularis, ex sanguine arterioso fibras musculorum nervosque stimulante, oritur: si igitur sanguis, qui contactus aëris in pulmonibus, aut stimuli chyli expers sit, arteriis coronariis, fibris muscularibus cordis applicetur, motus ejus brevi languescit, functiones nervorum et cerebri, quæ ex impulsu, et qualitate sanguinis, magna ex parte, modificantur, simul cum corde debiles fiunt, et invicem, vis nervosæ defectu, partes, quibus sensum suppeditant, debilitate afficiunt: causæ, in hunc modum, cum effectibus, et effectus cum causis, alternant; dum vires, mutuis, et reciprocis organorum affectionibus, toti corpori dilabuntur.

Absorbentia, venæ, et exhalantia, quæ vi musculari prædita sunt, idem, ac cæteri musculi, patientia, relaxantur: absorbentia serum in perito-

neum effusum, et venæ sanguinem, tardius reddunt; hinc congestio in venis, et abundantiæ seri in peritoneo causa non levis. Sed ex congestione sanguinis in venis, quæ per anastomosin sanguinem ex arteriarum ramulis excipiunt, exhalantia, insolitæ sanguinis pressuræ obnoxia, magis implentur ac distenduntur sero, quo sanguis ex vitio chyli et obstructis secretionibus abundat. Exhalantia igitur ex majore distentione fiunt quasi soluta, ut evenit vesicæ, diutius et nimis distentæ, nec influxui, a quo propter causas supradictas premuntur a tergo, resistunt; sed transire patiuntur, et in peritoneum effundunt cumulatius, quam ut absorbentia, etiamsi valeant, auferre possint.

Dixi, quod durusculum videatur, congestionem ex musculari debilitate in venis fieri, cum nihil tale paterentur arteriæ, et quoddam diversum ex eadem causa absorbentibus et exhalantibus accidere; cum ex relaxatione potestas auferendi minueretur illis, his secernendi augeretur: ex vi autem aliena aucta secretio exhalantium pendet, cum absorbentia vi propria musculari enituntur. Arteriæ motu cordis quanquam languidiore, et

vesica musculari sanguinem propellunt, at venæ quibus ab impulsu cordis nullum fere contingit auxilium, actione musculorum motus, qua premuntur, et vi propria innixa ad cor sanguinem reducunt tanto tardius, quanto vis muscularis perdita est: hinc ex generali causa congestio.

Sed causæ locales, quæ congestionem in venis mesentericis producant, qua magis implentur, ac distenduntur exhalantia, ex inflammatione acuta, vel chronica viscerum abdominis, et præcipue jecoris, oriuntur. Effusio seri in peritoneum fere non evenit, donec inflammatio organica aliquo tempore extiterit, ex hac inflammatione, dicam jecoris, quod id organum in ascite præcipue afficitur, in ejus texuram, vel ex vasis ruptis, vel dilatatis ut nonnullis placet, lympha coagulata effunditur, qua impedimentum mechanicum ramulis venarum portarum objicitur; ex hac obstructione retro usque ad venas mesentericas extendit congestio, et effectus jam memoratos producit. Membrana serosa, videlicet cerebri membrana, pleura et peritoneum, queis a natura portio parva sensibilitatis concessa, possunt inflammatione maxime acuta affici, in qua sensibilitas, quæ

antea obscura fuit, et tantum organica, non solum ad summum sensibilitatis organicæ, verum etiam animalis excitetur; quod dolor acutus satis indicat. Inflammatio acuta membranorum serosorum ut aliis corporis partibus, in chronicam sæpe abit, et utramque effusio seri sequatur aut comitetur.

Effusio seri ex membranis cerebri vocatur Hydrocephalus, ex pleura Hydrothorax, ex peritoneo Ascites; et primo aspectu, oriri videtur directe ex ramulis arteriarum stimulatis, et sanguine distentis, congestione nulla venosa præeunte.

Sed, si rem attentius intueamur, haud dubium, vim sanguinis ex ramulis arteriarum in venas suas, quo solum sanguini colorato via patet, primo dirigi; venæ itaque, quæ vi musculari arterias stimulatas non æquant, obturantur, propter hanc congestionem venosam, et lympham coagulatam, quam arteriæ distentæ effundunt: in vasa serosa sanguis coloratus, illis inconcessus, ingeritur, membranam serosam, ante albidam, rubet, et laxata exhalantia copiam seri effundunt.

Hactenus pathologiam, et causas ascitis indagare conatus sum; indeque monstrare, congestionem

venosam in venis mesentericis, ex variis causis inductam, relaxationem exhalantium producere, et hanc relaxationem, absorbentium relaxatione interdum comitante, causam morbi proximam esse. Simul vero concedendum, ex obstructione, seu paralyse absorbentium, ascitem secuturam, quamvis nihil præter morem secretio seri augeretur; porro, cum arteriarum extremitates in diversis organis, et in diversis corporis partibus, tam diversas, et prorsus mirabiles, secretiones secernant, non mirandum esse, si actio exhalantium ita modificata sit morbo, uti per se majorem copiam seri secernant, nec ad id ope aliena indigeant. Denique per cerebrum, nervos, musculos, et omnia organa corporis, tam diverse et mirifice vis vitalis distributa est, quasi in orbem acta, euns, atque redeuns, et tam mutuæ et inter se implicitæ sunt omnes vitæ animalis functiones, ut quid causam, aut quid effectum, quis dicat, difficile sit intellectu, namque

"Mens una agitat mollem et tota in corpore vivit."

Ratio asciti medendi imprimis exigit uti secretio per exhalantia minuatur, et, ut serum in

peritoneum effusum amoveatur: opus est ad hoc efficiendum, ut variæ causæ, quæ congestionem in venas induxerint, auferantur, et remedia adhibeantur, quibus ad auferandum serum effusum absorbentia stimulentur. Si jecori, aut cuivis organo, ex cujus affectione ascitis procedat, talis læsio conciliata sit, ut diutius muneribus suis, modo hæc vitæ sint necessaria, fungendis non sit, spes omnis recuperandæ salutis perit. Cum igitur de extentu, et natura, morbi organici sæpe compertum habeamus, imprimis animum debemus intendere ad sublevandum organum laborans, modo levari possit.

Quoniam de remediis in ascite, ex universali causa et debilitate inducta, postea agitur, hic prætereunda sunt, dum de ascite, quam diathesis phlogistica, vel inflammatio organica comitantur dico.

Inflammatio acuta ex læsis organi functionibus, ex dolore pressura aucto, et febre dignoscitur; et tum, pro viribus ægri, sanguis e brachio emittendus est; hirudines et cucurbitulæ cruentæ, parti dolenti applicandæ, et remedia antiphlogistica, donec subigatur inflammatio, adhi-

benda: omnes denique hydropici, febre idiopathica et sthenica laborantes, simili modo, videlicet remediis antiphogisticis tractandi sunt. Subacta inflammatione, tum cura erit reddere cuti, renibus, cæterisque organis, secretiones suas, quibus exhalantia gravantur. Ex his præcipue digni memoratu sunt renes, qui fluidorum moderatores, et quasi valvulæ salutis haberi possunt, quorum secretio ante tumorem abdominis, et per totum morbum, deficit. Ad promovendam urinæ secretionem maxime efficaces sunt quædam Scillæ, Hydrargyri, et Digitalis, præparationes, sales alkalini varii, ut Nitras Potassæ, Sulphas Sodæ et Magnesiæ, Supertartras Potassæ, &c. ratione dosis habita, præparationes Hydrargyri, ut Calomelas, et Pilulæ Hydrargyri, ut diuretica sint, simul cum scilla, et hujus classis medicinis, exhibentur.

Quanquam non difficile sit intellectu, quomodo derivatio fluidorum ad renes exhalantia peritonei exsiccet, et quomodo diuretica renes excitent, tamen non ita facile intellectu est, quomodo stimulent absorbentia, si quando hæc, ex effectu illorum, fluidum abdominis amoveant.

Hoc rationale esse diureticorum actionis existimo. Diuretica in stomachum recepta ab lacteis absorbentur, quibus stimulum impertiunt, quo, per sympathiam, absorbentia peritonei, et cuncta absorbentia stimulantur. Humor hydropicus, ita ablatus, et ex ducto thoracico effusus, sanguini intermiscetur, et circulationi subjicitur. Diuretica, in transitu, lacteis, et per sympathiam cum his, cæteris absorbentibus stimulatis, arteriis ad renes advecta, eos per idiosyncrasin stimulant, ut glandulas salivares hydrargyrus, aut aloës intestinum rectum ; ita insolita vis urinæ secernitur, propter copiam seri, quod ex ducto thoracico in sanguinem provenit. Sæpe autem alia diuretica aliis ægris prosunt, cum alia nihil valent ; et hoc nihil hujus generis intentatum relinquendi necessitatem indicat. Exsicca et pallida cutis absentiam sanguinis et inertiam vasûm secernentium, in cute, glandulis salivaribus et membranis faucium mucosis, satis arguunt. Remedia quibus secretiones cuti glandulis salivaribus, et membranis mucosis restaurantur, aliis simul organis, inflammatione aut aliter laborantibus prodesse possunt. Inter hæc balneum te-

pidum utile sit, oportet: et equidem mirandum videtur, quod non magis in usu fuerit, cum non solum promoveat secretionem per cutem, cujus interruptio pars non lævis morbi, verum etiam habitum morbosum interpellet, quo morbi, causis eorum amotis, sæpe aluntur. Balneum tepidum, ea temperie esse debet, uti leniter primum stimulet, nam primarii effectus balnei tepidi sunt stimulantes. Ex stimulo caloris vasis cutaneis actio augetur, sanguis per ea transmittitur, et exhalantia constricta et collapsa distenduntur. Absorbentia quoque stimulo caloris excitantur, et excitatio, ut alibi dictum est, cæteris absorbentibus impertitur. Effectus balnei tepidi brevi relaxantes sequuntur, textura cutis, et vasa exhalantia relaxantur, et dant exitum ex osculis antea constrictis, fluido seroso, quo actione arteriarum implentur. Quomodo potest balneum tepidum, aut quodvis aliud remedium, relaxare vasa exhalantia, cum absorbentia, et arterias cutaneas stimulet? namque ex supradictis constabit, eo potissimum consilio, me balneum tepidum utendum suadere. Absorbentia, quadam lege naturali, festinare dicuntur ad renovandum sanguinis hu-

morem, si ex quavis evacuatione, aut ingestorum defectu deficiat; at arteriæ, ut mihi videtur, nisi impleantur sanguine, qui naturalis illis stimulus est, dimensio eis, ut semper evenit, contractione musculari minuitur. Ex primario balnei tepidi effectu, non solum ramuli arteriarum, et oscula absorbentium stimulantur; verum etiam longe retro vasa majora similiter afficiuntur. Quanquam ergo extremitates arteriarum et fibræ musculares, quæ in contactu aquæ calidæ fuerint, laxentur, tamen sanguine a tergo stimulantur, a quo accumulatius solito implentur ex primo caloris stimulo, dum distensio, et laxatio exhalantium, secretioni favent, ut dictum est, cum de peritoneo ageretur. Absorbentia quoque calore stimulata exhalationem effusam absorbent, cujus distentione, et stimulo, ut dictum est de sanguine in arteriis, actio illis per vasa lymphatica continuatur. Cum ex effectu balnei tepidi laxante, et haustibus, remediisque opiatis, secretio per cutem, et vasa exhalantia, promoveatur, vasa exhalantia peritonei in ascite similiter afficiantur, oportet.

In ascite prosunt emetica, horum enim actione sanguis versus cutem dirigitur, et, ut balneo

tepido, exhalantia relaxantur, secretio salivæ augetur, sitis amovetur, et ex dilatatione thoracis per musculos respirationis, congestio venosa aufertur, quæ ne ulterius fiat, cordis vigor, ex novo accessu sanguinis vetat. Dum his, et talibus remediis, cutaneæ secretioni, urinæ, et salivæ, consulitur, revocandæ sunt ad sanitatem aliæ functiones læsæ, quæ, prout captæ sint, curæ esse debent ne accedant in auxilium morbo debellato, qui denuo sæviat et tyrannidem occupet.

Ne torpeant, itaque, viscera, purgantia danda sunt, et alvus dejicienda; quoniam partes, quæ chronica inflammatione in ascite afficiuntur, contiguæ sunt visceribus, et commercium cum illis habent.

Talia purgantia exhibenda, quæ ductus, et varios in intestina exitus, emulgeant, et exonerent, humoremque redundantem ex sanguine in alvum deducant. Ut in ascite jecur sæpissime laborat, Calomelas, et Pilula Hydrargyri, quorum usus in morbis hepaticis, omnibus, saltem medicis, notus, simul cum Jalapa, aut aliis vegetabilibus, aut salinis catharticis, danda sunt.

Sed omnium remediorum, quibus absorptio

promovetur, maxime valet hydrargyrus; nec solum ad absorptionem, verum etiam ad restituendas omnes læsas functiones, conducit. Exhibetur autem in omnibus morbis hydrargyrus vel ad evacuandam alvum, vel constitutionem per absorptionem afficiendam. Cum, ita, in mentionem hydrargyri incidi, pauca dicam de hujus medicinæ effectu, qui nonnunquam, aliter, ac velit medicus evenit. Exempli gratia, cum velit medicus dare calomelana ut catharticum, fieri potest, et sæpe fit, ut votis non respondeat, sed ut absorbeatur, et ptyalismum molestum, rem minime sæpe optandam, inducat; et contra, non raro contingit, si quando velit afficere exhibitione illius os et glandulas salivares, ut ex alvo profluente exeat. Cum calomelas ex ore in stomachum recipitur, ductum communem biliarem stimulat, ex quo bilis in intestina deducitur; ex bile igitur potius quam ex calomelane, alvi dejectionem fieri existimo, et ita ex lacteorum contactu calomelana auferri. Si autem minus excitabilis sit ductus, aut in vesicula, et ductibus biliaribus, tanta copia bilis non contineatur, quanta alvum cieat, tum calomelas chylo mistus in contactu lacteo-

rum in duodeno detinetur, a quibus, ni excitabiles non sint, absorbeatur necesse est. Ex effectu calomelanos in parvulis, res clarius apparebit, In hepatibus infantum magna copia bilis secernitur, unde illis alvus semper fere cita; si his detur calomelas, bilis quantitas augetur, et alvus citatur; et hinc, ni fallor, potius quam ex muco oscula lacteorum obtigente, ora, et glandulæ salivares raro illis afficiuntur. Quanquam, ergo, ex idiosyncrasi, lactea et absorbentia hydrargyrum, et medicamenta alia, in quibusdam respuant, tamen, maxima ex parte, effectus hydrargyri, ore recepti, ex quantitate et conditione bilis, in ductibus, et intestinis, præsentis pendet; nec absimile est, aliquam conjecturam de effectu hujus medicinæ ex ægri vultu, statuque intestinorum solito, generaliter capi posse.

Usus, ergo, externus unguenti hydrargyri, præstantior multo, et certior videtur; quippe qui supra dictis incommodis, aliisque careat, cum omnia commoda desiderata possideat. Infricatio ejus satis producta, et femoribus internis, seu abdomini, prout ferat libido medici, adhibita, facit ut certius absorbeatur hydrargyrus, quam si contactu

lacteorum iners sine ope mechanica permaneat. Contiguitas quoque, et commercium absorbentium cutis externæ cum internis peritonei, quæ in ascite fere torpent, faciat ut, transitu hydrargyri per illa, hæc citius et certius stimulentur. Unguentum hydrargyri ita adhibitum cæteris remediis mihi præstare videtur, non solum in ascite, verum etiam hydrothorace, hydrocephalo, aliisque effusionibus, quæ ope absorbentium sola amoveri possunt. Modo res postulet, usui hydrargyri electio sanguinis, et talia remedia, præcedere debent. Postquam de his prudenter cautum est, tum semidrachma, aut drachma, semel in die partibus supra dictis infricetur. Si post aliquot infricationes ita adhibitas, os et glandulæ salivares non tenerescant, augenda est gradatim quantitas; quæ si parum valeat ad saturandam constitutionem, balneum tepidum profuerit, et ad absorptionem hydrargyri, et ad levandas inflammationes locales viscerum abdominis, in quibus plurimum usurpatur. Si ptyalismus copiosus sequatur hydrargyri usum, de ægro melius sperare licebit; sin minus, non quod de ullo remedio sperare habemus, namque paralysis absorbentium

ita monstratur. Si effusio seri ex inflammatione chronica pendeat, hydrargyrus ad ptyalismum datus et causam et effectum auferat; unguento enim hydrargyri camphorati inflammationes, et tumores chronicos, quotidie discuti vidimus. Sed omnibus, ascite laborantibus, minime dandum est hoc remedium; debilibus enim, et senectute, vel morbis confectis, male convenit. Postremo, si ex usu hydrargyri alvus profluat, quod sicut ego existimo ex hydrargyro secretionem bilis in jecore promovente præcipue oritur, haustibus et remediis opiatis sistenda est.

Si hoc, et aliis remediis, peritoneum depletum fuerit, et organicæ affectiones subactæ, vires stomacho et intestinis restituendæ alimentis, ex carne præcipue constantibus, tonicis, ut præparationibus cinchonæ et ferri, et exercitatione, viribus ægri accommodata, simul adhibitis.

Hactenus de isto ascitis genere, quod propriis remediis sanari potest, disserui; rarius autem felicem eventum hoc malum habet, utpote quæ frequentius ex defectione virium, et organica affectione immedicabili, præcipue jecoris, alatur. In-

flammationes enim chronicæ jecoris, et aliorum viscerum, sensim sæpe, et sine multa, aut gravi molestia, grassantur. Demissi, quibus victus tenuis suppetit, asciti magis obnoxii sunt; hi morbo nascenti raro occurrent, nec petunt a medicis remedium, donec morbus organis depascitur, et indicat ascites, jecor corrumpi, aut funditus dilabi vires.

His perpensis, non mirandum est, si ascites medicis illudat, quippe quæ ætate provectiores, morbo, inedia, et potatione largiore confectos, opprimere gaudet; medici ergo prudentissimi, non ignari futuri, cum senserint, propter totius vitæ ruinam, sibi cum morbo iniquum certamen esse gerendum, fatis cedunt, nec ægrum molestis remediis lassabunt; sed, quam diu licebit, eum quibusvis blandioribus demulcebunt, et humori incluso exitum arte dabunt, statim ac abdomen distentum pulmones impediat: nec citius tentanda est paracentesis, post eam enim factam, sive ex vulnere peritonei, sive admisso aëre, gravescunt symptomata frequentius, et mors gradum corripit.

Post mortem, cadavere dissecto, sequelæ chronicæ inflammationis in peritoneo, jecore, et aliis abdominis visceribus, sæpissime sunt notandæ.

FINIS.